24099 N. 2
Lane Medical Library

DE ARTHRITIDE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXVII. M. MARTII A. MDCCCXLI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

Guilelmus Vogelgesang
POSTAMPIENSIS.

OPPONENTIBUS:
FR. WAGNER, MED. ET CHIR. DR.
AD. MERKER, MED. ET CHIR. DR.
R. TAUBNER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

AMPLISSIMO, ORNATISSIMO,
GENEROSISSIMO

BOETTGER,

REGI A CONSILIIS SUPREMIS REGIMINIS INTIMIS, COLLEGIO SUPREMO REGIMINIS POSTAMPIENSIS PRAESIDI, ORDINIS AQUILAE RUBRAE IN TERTIA CLASSE CUM LAQUEO EQUITI,

SUMME VENERANDO

NEC NON

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Viros interdum praestantissimos, summaque eruditionis laude conspicuos, vilioris pretii opera in lucem edidisse, omnium saeculorum historia satis comprobat. Quanto magis juvenem, nulla ornatum experientia, excusatione dignum haberi oportet, qui, ut sanctis majorum legibus satisfaciat, rei cuidam, neque novae, neque eximiae, operam navare, specimenque inaugurale de ea conscribere non dubitat. Arthritis, de qua opusculum istud exponit, inter maxima, quae corpus humanum turbant mala, non postremo loco est ponenda; nihilo secius quaedam adhuc exstant, vel adjicienda, vel mutanda, vel etiam accuratius coordinanda.

Me omnibus satisfecisse desideriis, quibus proprie satisfaciendum erat, tantum abest, ut credam, ut varia me immiscuisse, quae aliena et supervacua sint, lubenter confitear. Quod vero juvenile ingenium probabilia semper ab improbabilibus, necessaria a vilibus rite distinguere valeat! Virorum est, dirimere, diremtaque disseminare, juvenum vero, colligere et collecta memoriae demandare. Haec reputetis, Lectores benevoli, indulgentiamque in me conferatis. Valete!

NOMEN MORBI.

In scriptis aevi serioris duo praecipue occurrunt nomina, quae in nostris libris nostraque de morbo sententia hac una voce „Arthritis" complectimur, articulationum affectio unum nomen, alterum Podagra. Quorum distinctio omnino non prompta est et stricta, acsi diversi fuerint morbi; Podagra enim species tantum fuit et est arthritici generis. Sed hoc falsum discrimen puto in falsa de natura mali sententia positum esse, nam veteres Podagram localem modo habuerunt affectionem, quamquam non ignorarunt, Arthritidem saepenumero a pedibus ordientem ceteros tum articulos corripere posse.

MORBI DEFINITIO.

Arthritis, Dyscrasia, Cachexia arthritica, Arthralgia, Morbus tartareus, Morbus dominorum,

ille est morbus, cujus phaenomen maxime in oculos cadens intumescentiae articulorum inflammatoriae sunt, quibus turbationes in organis chymopoëticis propriae semper antecedunt, qui morbus per sudores et depositiones materiae calcareae in urina copiosas se discernit et crebro ejusmodi depositiones concrementorum.

ARTHRITIDIS SYMPTOMATA ET DECURSUS.

Plerumque longe antequam tumores articulorum inflammatorii oriuntur, id est, antequam insultus arthriticus ipse se ostendit, in systemate chylopoëtico molestiae variae antecedunt. Aegroti, raro vel nunquam omnino juvenes, plerumque in annos triginta et quinque, quadraginta vel in aetatem senilem provecti, crebrius sexus masculini quam feminini, habitu proprio aut hereditario aut alio modo acquisito, qui plerumque constitutione plethorica, succiplena, corporis mole roboreque, cuti aspera atque rigida, capite magno amploque, extremitatibus longis et temperamento sanguineo-cholerico praediti, de omnibus queruntur functionis ventriculi, hepatis, aliorumque abdominis viscerum laesae signis. Lingua muco

crasso, qui nullis remediis solventibus fugit, obtecta est, concoctio torpida, prava, appetentia ciborum interdum contra naturam aucta, saepius autem diminuta, nausea, vomituritiones et vomitus, ructus amari praecipue autem acidi, productio bilis et muci morbosa, abdomen tensum, color faciei luridus, excretio alvi impedita, saepe etiam diarrhoeae iteratae doloribus colicis conjunctae, irritabilitas in abdomine morbose aucta, et circulatio sanguinis in vasis abdominalibus, praecipue in systemate venae portarum, impedita, molimina haemorrhoidalia, hypochondria sive hysteria, unde spasmi in variis corporis partibus, palpitationes cordis, hemicrania, vertigo atque alia ejusmodi signa conjuncta cum anxietate et depressione animi aegroti statim in adspectum veniente.

His symptomatibus se adjungunt illa ex anomali urinae secretione orientia. Atque organa secernentia et ipsa excreta a statu integro valde discrepant. Aeger dolores sentit fugaces, transitorios in regione renum et vesicae urinariae, excretio urinae ipsa haud raro maxime parca et cum dolore ardente in urethra est conjuncta. Apparent blennorrhoeae ex genitalibus, signa

praesentis vel prioris status eorum organorum irritati. Quo magis insultus ipse appropinquat, eo magis urina quoque, quod attinet ejus elementa, mutatur. Quantitas enim Natri urici, si omnino aliquid adest, sicuti Calcaria phosphorica diminuta invenitur, quae autem insultu peracto eo major est. Haec secretio urinae anomala tum saepe in morbos renum chronicos et lithiasin transit.

Secundum longius vel brevius temporis spatium, per quod illa molimina persistunt, vis materiae arthriticae in articulis major vel minor se ostendit. Animadvertunt enim aegroti dolores transitorios, pungentes in articulis, praecipue infimis digitorum manus atque pedis, cui pruritus atque convulsiones extremitatum se adjungunt, sicuti interdum sensus frigoris in corpore adscendentis vel sensus surditatis et gravitatis.

Haec molimina, quae autem adesse possunt, etiamsi Arthritis ipsa ad exitum non perveniat, praenuntia vel Arthritis imperfecta nominantur. Interdum complures annos antecedunt, menses atque hebdomades, et saepe nec a medico nec ab aegroto Arthritis incipiens habentur, usque eo, quo Arthritis haud raro subito erumpit. His

in casibus signa praenuntia plus minusve disparere atque eruptioni ipsi sensus plenae integritatis per breve tempus antecedere solet.

Haud longe post subito pigritia, halitus maleolens, gustus cuprinus vel metallicus, cupido ciborum, sed nihilominus appetentia usque ad saturationem, flatulentia et exhalatio urinosa subsequitur. Tum plerumque sine ulla causa externa, interdum post coenam luxuriosam vel refrigerationem, cum febri paroxysmus arthriticus impetum facit. Subito dolor vehemens, lacerans, ardens oritur, quem nonnulli cum dolore, qui ossium luxatione excitatur, vel cum sensu tamquam aqua fervida aut secundum alios aqua omnino frigida, extrema enim se tangunt, super cutem partis affectae effunderetur, comparant, qui dolores in articulo aliquo, plerumque in halluce pedis sinistri, incipiunt. Et tam vehementes saepe sunt, ut aegroti ne lodiculae quidem pondus pati possint, e contrario etiam interdum tam modici, praecipue apud illos annis provectiores, ut sine baculo ambulent. Pulsus tum fit irregularis, celer atque durus, accedunt palpitationes cordis, facies atque extremitates ardent, oculi splendent, et urinae tum missae parva quantitas rubore san-

guineo suffunditur. Aeger inquietus est et de magna sensibilitate contra lucem et strepitum minimum queritur. Horripilationes atque lene frigus tantum per momenta calorem permanentem interrumpunt. Vomituritiones apparent atque vomitus, etiamsi per paroxysmum ipsum signa gastrica desinere solent. Pars affecta tum intumescit, intra proximas viginti quatuor horas calidior est et rubore levi erysipelaceo, non circumscripto, tegitur. Motus intumescentia dolorisque causa impeditur. Musculi partis affectae contrahi dicuntur, unde strepitus ille coriaceus in articulis. Ita Barthez et Musgrave.

Postquam igitur dolores atque febris usque in noctem proximam permanserunt, impetus intercedente sudore totius corporis, praesertim partis affectae, copioso, spisso, tenace, mitigantur atque imminuuntur. Attamen semper denuo exacerbant, plerumque post mediam noctem. Saepissime autem exacerbationes non tam diu permanent, quam primus insultus, ac plerumque etiam febri minore stipantur. Inter has exacerbationes articulationes, quae usque adhuc erant nondum affectae, dolentes fiunt atque intumescunt. Per intervalla vehementiorum insultuum dolor articu-

lorum, intumescentia et pulsuum irritatio in gradu minore persistit, donec tandem post octo vel quatuordecim dies, interdum etiam modo post hebdomades vel majus quoque temporis spatium intrante sudore copioso, qui exsiccatus pulverem splendentem, calcariam phosphoricam continentem, relinquit, et dum urina sedimentum copiosum, rosaceum habet, in quo magna Acidi urici, Calcariae uricae atque phosphoricae, nec non pomicae atque oxalicae quantitas invenitur, intumescentiae inflammatoriae plane resolvuntur et febris evanescit; aegroti pruritu intolerabili, praesertim inter digitos pedis, vexantur, epidermis solvitur et in modum furfuris vel magnarum laciniarum se desquamat.

Peracto ita paroxysmo aegrotus omnino bene se habet, melius saepe, quam ante eruptionem morbi, atque imo impedimenta in systemate venae portarum plus minusve evanuerunt. Appetentia ciborum optima, somnus quietus est, malaque animi affectio summae cessit hilaritati. Post majus vel minus intervallum, prout potentiae magis vel minus nocentes vim exseruntur, affectio gastrica iterum sensim se devolvit, atque eadem symptomatum series incipit

eundemque decursum facit, quam jam supra descripsimus.

ARTHRITIS ANOMALA.

Ab illo decursu regulari Arthritis haud raro discedit, et quidem hae declinationes sunt variae, secundum organa affecta. Quod pro primo Arthritidem articulationum irregularem attinet, duas ejus novimus formas, Arthritidem chronicam atque oedematosam. Illa haud raro invenitur apud feminas, praecipue apud tales, quae jam antea affectionibus haemorrhoidalibus laboraverint. In articulis dolor modo premens apparet, articulatio tactu levissimo dolorifica, temperaturà ejus paululum aucta, rubor autem vel intumescentia non adest. Nónnunquam haec individua metallorum, praecipue cupri atque argenti valde afficiuntur tactu, qui haud raro paroxysmum et dolores vehementissimos excitare fertur.

Quod ad Arthritidem oedematosam spectat, facile pro Hydrope habetur, praecipue apud homines crassos pinguesque. Articuli extremitatum inferiorum periodice intumescunt, initio tantum malleoli, sensim autem oedema crescit et non amplius periodice apparens ad genua adscendit,

aut genua ipsa etiam primo afficiuntur et malleoli postea. Intumescentia est extensa, cutis modice rubefacta, aegroti non de sensu tensionis, ut in Oedemate communi, queruntur, sed magis doloribus lancinantibus, praecipue noctu, vexantur. Accedunt symptomata ex affectione systematis venae portarum atque excretiones in urina peculiares.

Altera Arthritidis anomalae forma est illa, quae in ossibus ipsis sedem habet, et duae ossium series ab illa afficiuntur, ossa columnae vertebralis atque ossa capitis plana. Casus ossium cylindricorum affectionis non notus. Illa forma, ubi Arthritis vertebras afficit, praecipue apud homines aetatis provectioris nobis occurrit. Prima ejus symptomata saepe tam tenuia sunt, ut ab non attente observante praetermittantur atque aegri morbi praesentiam animadvertant, quum paralysis incipit. Exostoses enim, quae illis in locis praecipue oriuntur, ubi nervi spinales prodeunt, vel ipsa foramina intervertebralia angustiora redeunt, nervos comprimunt atque ita symptomata paralytica illis in organis, quibus nervi compressi decurrunt, provocant. Plerumque in hisce hominibus jam aliae Arthritidis formae ac

saepissime anomalae antecesserunt, quibus suppressis aegroti de dolore obtuso, pungente et premente in quadam columnae vertebralis parte conqueruntur, qui quoque motu vel compressione augetur et praecipue noctu intrat. Sensim paralysis initio incompleta in completam mutatur et ad partes superiores provehitur.

Affectio ossium capitis planorum sine ullo dubio forma est maxime periculosa, exostoses enim ex superficie aut externa aut interna oriri possunt. Illo in casu dolores vehementissimi, praesertim noctu, si aegroti in pulvinis plumeis jacent, in hoc autem praeter dolores vehementissimos, lancinantes, terebrantes symptomata irritationis atque postea compressionis cerebri apparent.

Tertia Arthritidis anomalae forma est illa, qua systema vasorum afficitur, ubi casus iterum duplex est, prout partes periphericae vel centrales (cor) afficiuntur. Quo in casu membrana cordis interna et quidem cordis sinistri inflammata est, et tum Arthritis omnia Endocarditidis symptomata ostendit. Cujus inflammationis exitus haud raro sive concretiones arthriticae in valvulis sive ossificationes arteriae coronariae cordis sunt.

Arthritis in partibus periphericis haud rarius quam illa forma, fortasse frequentius, praecipue extremitatum inferiorum arterias afficit, cujus affectionis ossificatio finis est. Symptomata sunt: in partibus pedis infimis aegroti de sensu frigoris, in uno pede magis quam in altero, conqueruntur. Apud aegrotos macriores arteria jam infra ligamentum Poupartii quemadmodum stria ad resticulae instar tactu distincte est animadvertenda, quae comprimi non potest, qua de causa pulsus quoque aegroti peculiaris est. Plerumque de hac affectione medicus tum modo consultatur, si exitus pessimus, gangraena digitorum pedis, jam adest.

Arthritidem in systemate membranarum mucosarum apud illos praesertim homines invenimus, qui affectionibus venae portarum laborant et jam antea interdum paroxysmis Podagrae transitoriis vexati sunt, apud quos autem tempore, quo insultus arthriticus exspectabatur, ejus loco diarrhoeae apparent, quas dolor ardens circa umbilicum concomitatur. Faeces non copiosae e muco acri et tenace, qui anum corrodit atque tenesmum producit, componuntur. Accedit lingua obtecta, gustus ructusque acidi, interdum etiam

vomitus acidi, sedimenta arthritica in urina atque in vesperem pulsus febricitans. Diarrhoeae haud raro tam copiosae fiunt, ut minima abdominis compressio dolores excitet, abdomen inflet et cum muco sanguis excernatur. Noctu crebrius sunt diarrhoeae, quam per diem, quod omnino Arthritidis normalis paroxysmis respondet.

Loco diarrhoearum vel loco affectionis membranarum intestinorum mucosarum interdum etiam membranae organorum respirationi inservientium mucosae afficiuntur, quibus in casibus aegroti de dolore peculiari ardente in larynge et secundum tracheae decursum usque eo, quo trachea dividitur, raro etiam profundius, queruntur; conjunctus est dolor cum sensu frictionis perpetuo atque irritatione ad tussiendum et screandum, quo muci tenacis salsi aut aciduli major vel minor quantitas ejicitur; vox quoque est alienata. Accedunt tunc propriae excretiones arthriticae, praesertim in urina.

Aliis in casibus Arthritis formam Blennorrhoeae systematis uropoëtici prae se fert. Apud viros sensus ardens in vesica urinaria, per collum vesicae ad urethram progrediens, oritur, plerumque cum erectionibus dolorificis, apud senes

ipsos decrepitos, cum dysuria atque etiam retentione urinae totali conjunctus. Si urina redditur, dolores vehementes nec non constrictiones in collo vesicae spasticae excitat, qua de causa semper ad pulsum instar, nunquam in uno tenore effluit. Urina est ex rubro subnigra atque refrigerans sedimentum arthriticum deponit. Plerumque inflammatio membranae quoque mucosae urethrae vel apud mulieres vaginae progreditur, quo in casu mucus est viridis, corrodens, cui autem odor specificus muci in affectione syphilitica excreti deest. Major est muci secretio tempestate humida, minor aëre sicco calidoque. Haec Arthritidis forma vulgo Gonorrhoea arthritica nominatur, atque haud raro invenitur. Si haec inflammatio per longius tempus persistit, interdum etiam ad glandulas systematis uropoëtici provehitur, ad renes atque ad prostatam, ubi haud raro concrementorum lapideorum causa fit, praesertim in renibus. Urolithi quoque omnibus fere in illis casibus, ubi ex acidó urico constant, Arthritidi originem debent.

ARTHRITIDIS DIVISIO.

Primo distinguimus duos Arthritidis ordines: regularem atque irregularem. Regularis com-

plectitur omnes formas, ubi articuli afficiuntur sive pedum sive genuum, seu manuum seu cubiti, sive humeri sive coxae, et ita habemus Podagram, Gonagram, Chiragram, Pechyagram, Omagram atque Ischiagram seu Lumbaginem; irregularis autem illas formas, quas jam supra nominavimus, affectiones ossium, vasorum et membranarum mucosarum atque imo articulorum, si chronicus est decursus.

Tum distinguimus Arthritidem apertam et larvatam. Apertam eam dicimus, quae perspicue exculta est, larvatam contra eam, quae aliis variisque morborum formis absconditur. Reperiuntur autem ejusmodi morbi, quorum natura arthritica est, quam plurimi in abdominis, pectoris et capitis organis internis, postremo etiam in cute. Itaque plerumque Arthritis occultatur morbis hisce: Dysorexia et Dysphagia, Diarrhoea, Colica chronica, Hypochondria, Haemorrhoïdibus, Melancholia, Scirrho uteri, ovariorum et testiculorum, Fluore albo; — Pleuritide et Pneumonia, Haemoptysi, Phthisi pituitosa; Asthmate, Hydrothorace, Tussi; — Cephalalgia, Prosopalgia, Vertigine, Epilepsia aliisque spasmorum formis; — morbis quoque oculorum, e. g. Cataracta, Glau-

comate, Amaurosi; — Herpete, Tinea et multis aliisque Exanthematibus.

Deinde fixam Arthritidem et vagam et retrogradam habemus. Vaga non in articulis, sed modo hic, modo illic in corporis peripheria variis procreat dolores, Cephalalgiam, ipsam Hemicaniam, Odontalgiam, alios. Retrograda forma ia oritur, ut Arthritis regularis propter corporis dispositionem, propter vires deficientes, propter ætatem vel juniorem vel seniorem, non possit defervescere, aut ita, ut insultus regularis refrigrio, diaetae vitiis aliisque ejusmodi peccatis repellatur, unde sequelae valde periculosae conferri solent, aut inflammatio arthritica, aut affecto spastica in visceribus nobilioribus, aut nervorum resolutio etc.

Arthritis atonica est status morbosus, cui atonia universalis subest causa efficiens, prodromi tantum Arthritidis antecedunt, naturae autem nisus ad formandam Arthritidem regularem non amplius sufficiunt. Dolores vel articulos perpetuo occupant, vel Arthritis atonica sub forma aliorummorborum apparet, quibus protractis Cachexia arthritica enascitur, quae ulceribus, tophis, febrilenta dignoscenda.

DE DISCRIMINE INTER ARTHRITIDEM ET RHEUMATISMUM.

His, quae supra exposui accuratius, collectis, pauca tantummodo afferam de discrimine inter Arthritidem et Rheumatismum. — In regulari Arthritidis forma diagnosis non premitur difficultate, quum ipsi prodromi, quos jam recensui, et localis affectionis, ad articula spectantis, signa luculenter Arthritidis in casu quodam concreto probent praesentiam. Difficilior autem omni ex parte diagnosis est Arthritidis anomalae, quae, nisi aetiologia, aegroti constitutione et praeviis morbis eruta, vix certo ab aliis malis dignoscenda est. Ceterum in multis aliis morbis, exempli gratia in Syphilide, Hydrope et Phthisi, in externis partibus haud raro frequentes et pertinaces observantur dolores, qui nequaquam naturae arthriticae sunt; quique non solum articula, sed integros evadunt artus, periodicos non exhibent paroxysmos, sed alium tenent decursum, si repente evanescunt, summum vitae non adducunt periculum et excepta Syphilide in articulorum tumores non abeunt. Qui autem in Syphilide oriuntur tumores magis ad ossa, quam ad articula spectant et dolores

syphilitici nocturno tempore lectuli calore valde adaugentur, quum Arthritidis inde mitigentur dolores. Majore autem attentione dignissimum illud est discrimen, quod reperitur inter Rheumatismum et Arthritidem. Pauca, quae huc spectant criteria nunc afferre mihi liceat.

Primum in censum venit hereditaria propagatio Arthritidis a patre ad prolem, quam Rheumatismo non tribuunt. — Ad Arthritidem depositionem, quae, si in quodam adest corpore, admissis haud summi momenti causis occasionalibus, in absolutam abit Arthritidem, vere existere neminem fugit. Quam praedispositionem persaepe esse hereditariam atque innatam et per complures progenies propagari posse (triste repraesentat donum, quod a parentibus accipiunt infantes) minime inficias imus.

Ad Arthritidem disponit vini copiosus usus, Venus nimia, lucubratio, comissationes, studia assidua, etc., quae causae Rheumatismum nunquam provocant. — Multi quidem sunt utriusque sexus, omnis aetatis atque ordinis, qui indefatigati litant Veneri; alii mox anhelantes aërem captant, alii ante horam senes fiunt, pauci autem Arthritide infestantur. Nihilo minus expe-

rientia confirmat, juvenes praematura et immodica Venere usos, naturali conspirante dispositione, in optimo aetatis flore ab Arthritide infestari. Jam Hippocrates observavit Eunuchos arthritico morbo non laborare, neque puero illum ante Veneris usum contingere; nec mulierem Arthritide corripi, nisi menstrua defecerint.

Nimius porro et intemperans vini potus magnam vim ad tartareas cruditates in corpore generandas obtinet, siquidem ex observationibus medicorum celeberrimorum constat, nihil plus ad tartaream illam, aut quomodocunque appellare libet, materiam arthriticam aptum esse, quam vinum; quae etsi in corporibus quibusdam sequestratur, tamen in illis, quae viscerum debilitate laborant, servatur atque in sanguine accumulatur. Non autem omnia aeque vina copiosi tartari gignendi elementis abundant, sed alia magis, alia minus iisdem saturata deprehenduntur. Nova imprimis et recentia, e quibus tartareae moleculae nondum praecipitatae fuerunt, acida atque acido-austera, ex uvis non satis maturatis pressa crebrius et immodice hausta, cacochymiam acido-tartaream humoribus ingenerant, quae deinde matrix et nutrix fit Arthritidis.

Otiosae quoque et sedentariae vitae cum luxuria imprimis conjunctae ad arthriticos impetus generandos maximam vim esse, communi omnium constat observatione. Hinc est, quod multi literatorum prae aliis hujus morbi tormentis se expositos experiantur; inde nobiles atque aliae eminentioris dignitatis personae prae rusticis, mercenariis et mechanicarum artium magistris, crudeli illo morbo saepe tentantur, unde vulgo quoque »morbus dominorum« nominatur. Quo plus enim ingeritur, tanto minus digeritur, unde multae in corpore gignuntur et cumulantur cruditates, quibus, nisi quotidianus motus et corporis exercitium succurrant, cujus ope illae comminuantur et dissolvantur, insuperque secretiones pro necessaria fluidorum depuratione promoveantur, aliis conspirantibus causis Arthritis producitur.

Arthritis nunquam subito apparet, sanitate illaesa, sed longiore tempore praecedunt prodromi, frequentissime perturbationes functionum digestionis et chylificationis, ut edacitas vel anorexia, animae foetor, nausea, dyspepsia, flatus, alvi obstructio, ventriculi sensibilitas, sensus ponderis in membris etc., dum Rheumatismus ho-

minem optima sanitate gaudentem refrigerio admisso subito invadit et doloribus vehementissimis se manifestat.

Arthritis ut plurimum a febri inchoat, quam excipit dolor, Rheumatismus contrarium exhibet. — Sunt quoque, qui dolorem arthriticum a rheumatico differre doceant, quod ille sit acutus, pungens, pulsans, lacerans, hic tensivus, pressorius, gravativus. Sed quis est, qui non videat, hocce signum, dolores varios, valde incertum esse? Quisque aeger pro sua imaginatione dolores nunc pungentes, nunc urentes, nunc tendentes vocabit. Arthriticus dolor vario gradu differt, item et rheumaticus, differt quoque aegrorum irritabilitas, inde diversa dolorum descriptio. Arthriticum autem dolorem leniri calore externo, rheumaticum contra adaugeri, nisi chronicus est, experientia comprobatur.

Arthritis porro aetati virili maxime est infesta, Rheumatismus neque aetati neque sexui parcit. — Nequaquam omnis indifferenter aetas Arthritidi exposita est, sed fere unice, certe plus quam muliebris, ipsa virilis, imo senilis. Qui Arthritide adhuc juniores afficiuntur, ab aliquot supra viginti annis ad triginta, illi vel heredita-

ria praeparati dispositione sunt observati, vel Haemorrhoïdibus ante illud tempus manifesto tentati fuerunt, simulque communiter animi vel admodum iracundi, vel gravibus terroribus perculsi, vel denique diaeta vinosa gaudentes deprehenduntur. Feminae Arthritide laborantes revera rariores occurrunt.

Arthritis praeter majores articulationes praecipue illas digitorum tam pedis, quam manus occupat, quod non animadvertitur in Rheumatismo. Cujus sedes sunt caput, oculi, fauces, gingivae, aures, collum, pleura vel musculi intercostales, humerus, regio lumbalis, coxae, vesica urinaria et femur secundum decursum fasciae latae, abdominales musculi in regione hypochondriaca utraque, ut sub larva vel Pleuritidis vel Hepatitidis, Splenitidisve, spuriarum, adoriatur aegros, atque a parte ad aliam citra leges migret. E contrario sedes Arthritidis sunt articuli pedum, genuum, manus, digitorum, cubiti, rarius humeri, coxae, spinae dorsi, ea quidem lege, ut, si ex his quem relinquat, horum alium quendam petat, maxime vero recurrens iterum petat locum eundem. Atque in specie Rheumatismi sedes plurimis in casibus collocatur in musculosis partibus, Arthritidis vero in ligamentis, membranis, periostio.

Arthritis est periodica, Rheumatismus omni tempore hominem invadit, interdum semel tantum, nunquam in posterum reversurus.

Arthritis saepe curae omni rebellis est, symptomatibus aliquo tempore silentibus facile iterum revertitur; Rheumatismus per therapiam rationalem frequentissime et cito sanatur, et causa excitante evitata non amplius revertitur.

Mobilitatem Rheumatismus non omnem suspendit, sed quatenus hunc, illumve aut musculum, aut tendinem, aut aponeurosin, aut membranam tenet, a quorum functione integra vel pendet motus, vel modificatur; in Arthritide vero flexilitas partium omnino perit.

Plerumque Rheumatismi chronici sunt fixi, ac raro locum suum relinquunt, Arthritis vero, praesertim inveterata, crebro sedem mutat.

Arthritis ab internis ad externa fertur, Rheumatismus contra.

In Arthritide faeces alvinae, urina et sudores foetent, quod in Rheumatismo non observatum est.

Signa characteristica Arthritidis a Scudamore nobis afferuntur: seri exsudatio in telam cellulosam, turgescentia venarum vicinarum, dolores vehementissimi, qui sensum caloris et pul-

sationis secum ferunt, adaucta partium affectarum sensibilitas, quae tactu praesertim augetur, gravitas earum, torpor, motus impeditus. Praeterea tumorem et ruborem partium Arthritide affectarum semper demum insultum sequi, bene est notandum, quum in Rheumatismo haec signa statim ab initio observentur. Magnum praeterea urina praebet criterium, nam in Arthritide tempore paroxysmi valde parca secernitur et postea sedimentum largum, mucosum, albidum vel rubellum format, in Rheumatismo autem acuto urina turbida et rubra reperitur, et sedimentum format lateritium.

Praeterea alia signa ab observatoribus adferuntur et permulta, quibus Arthritis ab Rheumatismo distinguatur. Quae aut utrique morbo sunt communia, aut leviora, quam ut pro signis singularibus haberi queant, aut denique attingunt tantum modificationes quasdam, non ipsam morbi naturam. —

VITA.

Guilelmus Ferdinandus Carolus Vogelgesang, Postampii ante diem quintum decimum Cal. Octobres anni millesimi octingentesimi quarti decimi p. Ch. n. patre Carolo, apud eos, qui rebus publicis administrandis praefecti sunt, regii secretarii munere fungente, matre Friderica, e gente Schoenfeldt, quibus parentibus adhuc salvis gaudeo, natus sum, confessioni

evangelicae addictus. Primis scientiarum elementis imbutus gymnasium adii patriae urbis, quod tunc directore Blume, viro doctissimo atque illustrissimo, florebat, et per octo annos frequentavi. Testimonio maturitatis instructus anni millesimi tricesimi sexti mense Octobri inter cives instituti medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus sum, ubi per septem semestria ad studia medicinae et chirurgiae incumbens hosce viros illustrissimos audivi disserentes:

Cel. Wolff sen. de hodegetice, logice, psychologia; Cel. Preuss de historia; Ill. Link de botanice et historia naturali; Cel. Turte de physice et pharmacia; Ill. Mitscherlich de chemia; Ill. Schlemm de osteologia, syndesmologia, splanchnologia; Ill. Müller de anatomia et universa et organorum sensuum, et comparata et pathologica, nec non de physiologia. In arte cadavera rite secandi Ill. Mueller et Ill. Schlemm mihi duces fuere.

Praeterea has frequentavi scholas: Ill. Hecker de encyclopaedia et methodologia medica, de Celsi libris Burseriique institutionibus, de historia medicinae; Beat. Fr. Hufeland de pathologia generali et de semiotice; Cel. Eck de physiologia; Ill. Osann de materia medica, de fontibus medicatis, de auxilio in repentinis vitae periculis ferendo; Ill. Horn de pathologia et therapia speciali, de morbis syphiliticis et psychicis; Ill. Casper de medicina forensi; Ill. Kluge de arte fascias rite imponendi, de ossibus fractis et luxatis, de chirurgia generali, de arte obstetricia, et una cum Cel. Froriep de akiurgia; Ill. Juengken de chirurgia speciali, de ophthalmiatrice.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, obstetriciis, ophthalmiatricis, medico-forensibus interfui virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum Dieffenbach, Beat. de Graefe, Juengken, Kluge, Osann, Beat. Rust, Wagner, Wolff jun.

Quibus omnibus viris amplissimis gratias ago, quas habeo maximas.

Nunc per annum in hujus urbis nosocomio caritatis medici inferioris munere functus sum.

Jam vero tentaminibus tam philosophico quam medico et examine rigoroso superatis, spero, dissertatione et thesibus rite defensis, fore, ut summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. Delirium tremens venaesectionem non vetat.
2. Omnes sanare morbos non licet.
3. Auscultatio certissima nobis praebet signa graviditatis.
4. Ligatura arteriarum in universum torsioni praestat.
5. Venaesectiones in Rheumatismo acuto institutae decursum morbi breviorem reddunt.